

um audit fidemque ex eo concipit, quæ foedus Evangelicum per Sacra menta init, initum confirmat, ac digne denique Evangelio vivit. *Lutherana* est, quæ eadem confitetur ac statuit, quæ confitentur ac statuunt Lutherani, sive de cetero hoc nomine appelleatur, sive non appelleatur. Tantum observandum est, distingui oportere, inter Ecclesiam *Lutheranam* ratione *nominis*, & ratione *rei*. Quia *nomen* facile damus, ante Lutheri tempora nec auditam fuisse Ecclesiam Lutheranam. Ceterum ex eo non magis inferre licet, nullam antea Ecclesiam Lutheranam, qua *rem ipsam*, fuisse, quam ex eo, quod Christi Servatoris discipuli, aliquot post hujus in coelos evocationem, annis, primum Antiochiae *Christianorum nomine* insigniti fuerunt, *Act. XI, 26.* concludere fas est, ante illud tempus neminem Christianum, aut nullam Ecclesiam Christianam fuisse. Omnes enim quotquot nobiscum, inde ab Apostolorum temporibus, consenserunt in doctrina Evangelii, hi *materialiter*, & *quoad rem Lutherani*, & membra Ecclesiæ veræ ac Evangelicæ fuerunt, sive de cetero hoc nomine appellati fuerint, sive non fuerint. Nam & aliquando tempus fuit, quo nondum invaluerat Ecclesiæ *Catholica nomen*, & satis inter eruditos constat, seculo demum IV. Christianos orthodoxos, distinctionis ergo, *Catholicos* appellari cœpisse, quod e *Cod. Just. L.I. Tit. I. de Trin. & fid. Cathol.* patet. Neque tamen propterea defuit Ecclesia *Catholica*, quare *rem*, cum ipsorum adversariorum judicio, Ecclesia *vera*, *Catholica*, & *Apostolica* sint Synonyma, adeoque fieri non posse, quin quamdiu in Orbe fuit *Apostolica*, tamdiu quoque fuerit *Catholica*, si non *qua nomen*, tamen *qua rem ipsam*.

**§. XXXII.** Idem igitur dixerim de *Lutherana*, & nostra, quæ utut seculo demum XVI. distinctionis ergo, ab instauratore veræ doctrinæ, hoc *nomine* appellari cœpit, qua *rem* tamen ipsam, pridem ante Lutherum fuit, quum eadem illa doceat